

214

CVM AD  
**GYMNASII DRVSIACI**  
ENCAENIA  
D. XXVIL NOV. MDCCCLXV.  
CELEBRANDA

ILLVSTRIS  
MAGNIFICI MAXIMEQVE STRENNVI GENE-  
ROSI ET AMPLISSIMI

DN. DN.

**BVRGGRAVIUS REGIVS**  
**PRAESES**  
**PRAECONSULES CONSULES**  
PATERAE PATRES AC NVTRITORES  
MVNIFICENTISSIMI

NEC NON

EXCELLENTISSIMI PLVR. REVERENDI  
PRAENOIBLES NOBILES SPECTABILES  
HUMANISSIMIQUE

MVSARVM FAVTORES

BY

PROMOTORES

OMNI QVO PAR EST  
REVERENTIAE ET HUMANITATIS STUDIO  
OFFICIOSE INVITARENTVR

BIBLIORVM

IN PVBLICA GYMNASII ELBINGENSIS BIBLIOTHECA  
QUAE EXSTANT  
RECENSIONEM NONAM  
NOMENCLATORI PVERORVM PRAEMITTIT  
JOANNES LANGIVS  
GYMN. RECT. P. P. ET BIEL.

ELBINGAE LITTERIS NOHRMANNIANIS.

Dbl. do 582

T  
u,  
quisquis es,  
antiquitatis amans  
& rerum novarum cupide,  
scias, me esse  
monumentum  
monumenti monumento  
inserviens,  
non mercuriale sed heliconium,  
non castrense sed scholasticum  
non marmoreum sed chartaceum:  
pium tamen, publicum  
& christianum.

Quantum enim  
ante triginta tria & quod excurrit lustra  
pia PATRVM PATRIAE munificentia  
in

exstruendo & ornando Gymnasii aedificio  
posuerit monumentum,  
praedicant hodienum adhuc Cives,  
loquuntur Camoenae,  
&  
sera dicet posteritas.

Pyramides marmoreas  
squalor saepe sordidavit,  
&

statuas ex aere conflatas aerugo attigit,  
utrumque temporis injuria attrivit;  
ast  
monumentum gloriae Nominis divini  
& doctrinae usibus dicatum  
memoria & sermone hominum perpetuo  
propagatur,

inque

215

inque rebus etiam vetustissimis  
floret, viget:  
aliter enim  
se opificum opera,  
aliter ingeniorum habent monumenta.

Anaxagoras hinc  
hoc sibi unicum nominis ac famae  
apud posteros in votis habuit  
monumentum,  
ut juventuti scholasticae  
quo die mortem obiret,  
ab omni studiorum labore otari,  
& famae suae monumento  
monumentum gratae memoriae addere liceret.

Majores vero nostri,  
de renovando Encaeniorum Gymnassi monumento  
solliciti,  
non, quo vetus aedificium dirui incoepsum est,  
sed novi dedicationis diem  
quotannis celebrari, consultum duxerunt.

Qui dies h. a. eo splendidior veniet,

quia

AMPERISSIMI ELBINGENSIS MAGISTRATVS  
jussu ac indultu  
publica insimul  
VIRI CLARISSIMI DOCTISSIMI QVE  
DOMINI  
SAMVELIS GOTTLIEB STELLMACHERI  
Professoris LL. OO. & Eloquentiae Ordinarii  
introductio  
cum Gymnassi Encaenii erit conjungenda.

Fas

Fas ergo piumque est,  
ut omnis in D E V M gratus,  
nec in MAGISTRATVM, D E I Ministrum ingratus,  
benevolentiam Phrotisterio Elbingensi exhibitam,  
aetati suae commendet,  
posteritati conservet,  
& aeternitati consecret.

TE igitur,  
beneficiorum D E I & MAGISTRATVS aestimator  
&  
sincerae pietatis ac optimarum artium  
cultor,  
qui  
monumenta Majorum immortali retinenda,  
novaque illis addenda putas,  
hisce invitatum habere volo,  
ut  
sacro scholaftico  
crastina luce hora ante merid. IX.  
celebrando  
lubens interesse,  
& monumentum monumenti praesentia TVA  
honorifica ornare,  
TVAque pia mentis symbola addere digneris.

Tandem sit TIBI  
haec votorum summa,  
ut  
D E V S hoc Vrbis Elbingensis Palladium  
splendidius in dies praestare,  
ad dierum consumationem conservare  
& ab omni semper tutari velit malo.

Jubet tempus, ut & illorum Bibliorum faciam mentionem,  
quae ante LYTHERI versionem A. 1518. Aug. Vindel. ex officina  
SYLVANI OTMARI in folio sequenti prodierunt titulo :  
**Bibel Deutsch**  
**der erst Tail.**

Haec S. S. editio inter tres illas, quae OTMARI cura A. 1507.  
1518 & 1524 publici factae sunt juris, secundum occupat locum;  
cumque a WIDEKINDO l) admodum rara (eine S. R. A.)  
vocetur: dolendum omnino est, quod ejus primam tantummodo  
partem, (constat vero duabus,) ex donatione *Viri Spectabilis*  
*Doctissimique Dn. IOANNIS DOMINICI HECHTII*, p. t.  
Not. Offic. Pupillaris Meritissimi publica possideat Bibliotheca.  
Interim praestat, unam horum Bibliorum habere partem, quam  
plane nullam. Hic codex pro temporum conditione admodum  
nitidus, multis exornatus est imaginibus, gaudetque literis capi-  
tum initialibus, typis expressis; nulla tamen paginarum, nullaque  
versuum distinctione. Nostrae Bibliorum parti colophonem im-  
ponit Davidis psalterium, ex cuius cantico primo, ad indolem  
versionis hujus Germanicae aliqua ex parte cognoscendam, ver-  
sum addere licet primum, sic se habentem: *Selig ist d' man der*  
*nit abgieng in dem radt der ungütigen: und nit stünd in dem*  
*weg der sünden unnd nit saß in dem stül der pestilenz.* Qua de  
editione videsis MEYERVM, m) aliquosque. n)

Sequuntur Biblia Germanica, Pomeranorum dialecto con-  
scripta, hoc sub titulo :

A dat is de ganze hillige Schrift, dudesch D.  
M. LVTHER, mit der besten correctur flätig col-  
lationeert inde na der sylvigen emenderet. Bart in  
der Förstichen Druckerye durch Hans Witten. 1588.

Im August, mit sg. gr. 4.

Haec Biblia, in tres partes divisa, est uno volumine compacta,  
jussu Serenissimi Ducis BOGVSLAI XIII. juxta exemplar Wit-

I tem-

l) in dem Verzeichniß von raren Büchern. P. I. p. 457.

m) de versionibus s. s. ante LVTHERVM. §. 8.

n) LILIENTHAL in den Pr. Schenden. B. II. p. 55. le LONG in Bibl. Sacra  
P. I. p. 190. Nachrichten von einer Häll. Bibl. B. 3. p. 283.

tembergense de A. 1545, ut & illud de A. 1561, & quidem membranaceum, quod in Bibliotheca Ducali Wolgastiensi tum temporis asservabatur, typis expressa esse, ipsa WITTII Chalcographi docet praefatio, in cuius fine eruditus cujusdam, qui sub literis initialibus M. J. L. latet, sequentes leguntur versus:

Haec tua te pietas docuit monumenta dedisse,

BVGLAVE, o Magnum religionis opus.

Omnia praetereunt, Majestas sola manebit

Verbi, quod sonuit coelitus ipse Pater.

Hoc dum proponis populis patriaeque legendum;

Rite Pater Patriae diceris esse tuae.

Nulli quidem in hoc codice additi sunt capitum versus, nec in eodem paginae, sed folia tantummodo numerantur; interim ad marginem deprehendes non loca solum parallela citata, sed varias quoque glossas & annotationes. Quas inter illam, quae ad verba: Averst ere Geweldigen brachten eren Hals nicht thom Denste erer Heren, Neh. III, 5. legitur, speciminis loco annotasse juvat, sic se habentem: De Armen möten dat Crüze dragen, de Ryken geven nichthes. Dus Es hefft nicht, Gees Bincke gifft nicht, Quater Dre de helpen fry. o) Ipse vero Pomerani sermonis dialectus in causa est, cur a versione LVTHERI modo laudata saepius discederent Auctores. Hinc Ezech. XIX, 9. ubi LVTHERVUS: und stießen ihn gebunden in ein Gatter, ibi versio Pomerana dicit: und stötten en gebunden in en Schrankwerck. Das Verwahrlosete in Israel Jes. XLIX, 6, vocatur dat Verrockelosede in Israel; die Hochzeitleute Matth. IX, 15. de Brutlachtes Lüde, & wieder den Stachel lecken Act. IX, 5. gegen den Prekel achter uthslahn. Sic Luc. VI, 1. audit der Aftersabbath en Nahsabbath, & Marc. X, 25. das Nadelohr en Nateloge. Imo colloquium, quod Ecclesiam inter ac Messiam habitum, Jes. LXIII, 2. 3. describitur, ita incipit: Worümme is denn dyn Gewant so rotsarwich, unde dyn Kled als eines Wynparsen Trodders? Ick tröde de Wynpar-

sen

o) Quae verba dum etiam in nonnullis S. S. editionibus Belgicis, e. g. Delfensi de A. 1596. in 4to. aliisque leguntur, evenit inde, ut testibus VOGTIO in Cat. libr. rar. p. 96. & SALTENIO in libr. rar. p. 207. haec Belgarum Biblia Deux aas Bibel vocentur.

217

sen allene &c. Adhaec sciendum est, quod locus ille i Jo. V, 7.  
nec in hac editione typis expressus sit. In fine vero Apocalypseos  
doxologia legitur ex Ps. CXXXV, 21. petita, hujus tenoris:  
Gelavet sy de Here uth Zion, de tho Ierusalem wanet, Halleluja:  
quam demun index in universa excipit Biblia. Hic codex p) ex  
librorum *Viri Plur. Reverendi Doctissimique Domini EBEN-*  
*THEVR*, Pastoris quondam apud Hirschfeldenses Fidelissimi  
auctioне, 1763 Elb. habita, Bibliotheca Gymnasii liberali animo  
est oblatus.

Sed progrediendum est ad alium codicem, aequo notatu di-  
gnum, scilicet ad

*BIBLIA CVM CONCORDANTIIS V. & N. T.*  
quae, ut in fine legimus, impressa sunt Lugduni per IOANNEM  
MARION. Expensis ANTONII KOBERGERI, Nu-  
remburgensis. Feliciter explicet A. N. S. 1520.

d. 12. Dec. in fol.

Hanc Bibliorum editionem, quae ante versionis vulgatae revisio-  
nenem, a Sixto V & Clemente VIII curatam, prodiit, in rarissi-  
mam habendam esse, vel exinde conjecturare licet, quod instructissimis  
etiam Bibliothecis publicis rarissime ea deprehenditur. Inde for-  
san evenit, ut nec KNOCHIVS, q) nec WIDEKIND, r) nec VOGTIVS s)  
illius faciant mentionem. LE LONG vero eandem in Bibliotheca  
Sorbonensi, ut & in ea S. Genovefae Parisiis se vidisse, testatur. t)  
Dum vero illa Bibliorum editio, quae Lugduni expensis KOBER-  
GERI per M. IAC. SACON A. 1522 publici facta est juris, cum praef-  
atam, quam in manibus oculisque habemus, ut ex KNOCHII recen-  
sione u) videre est, in omnibus fere convenit, apparet inde,  
illam ad hujus nostrae exemplar, SACONIS opera curaque prelo esse  
commisum. Quod itaque ad ipsam attinet editionem nostram,  
in illa, Gothicis adhuc literis, ast melioribus ac elegantioribus,

I 2

quam

p) de quo cons. Nachricht von der Hält. Bibl. B. VII. p. 397. VOGTIVS l. c.  
P. 112. & le LONG l. c. p. 248.

q) in der Braunschweigischen Bibel Sammlung.

r) in dem Verzeichniss von raren Büchern.

s) in Catal. libr. rar.

t) in Bibl. Sacra. P. II. p. 462, coll. p. 449. 452.

u) l. c. p. 846.

quam esse solent, conscripta, non paginae sed folia CCCXVII, quibus utrumque absolvitur Testamentum, numerantur. Columna in medio cuiusvis paginae relicta, illarum quaelibet in duas dividitur partes; & litera quaevis initialis non libri modo sed capitis etiam, figura ac ornatu includitur ligneo. Ipsi vero N. T. ad fol. CCXLV. praemittitur imago satis pulchra, in qua Maria & Josephus in strabulo Bethlehemitico puerum IESVM, an stramine foeni humi jacentem, praesentibus angelis ac pastori-bus, flexis genibus adorantes exhibentur, verbis infra additis: O immensum chaos & inclite celsitudinis fili mi quis digne valebit tuam radiosam speciem contemplari? Praeterea in hac editione, ut ut verba in fine se habent, studiosissime revisa, correcta & emendata praeter alia canones quoque additi sunt Evangeliorum, & Evangelistarum concordantiae, capitumque summaria. Nonnulli tandem coronidis loco in fine Apoc. adjeci sunt versus, qui Orthographia servata ita incipiunt:

Fontibus e grecis hebreorum quoque libellis,

Emendata satis: & decorata simul:

Biblia sum presens: superos ego testor & astra:

Est impressa nec in orbe mihi similis &c. w)

Hunc S. S. codicem admodum rarum *Vir Spectabilis Honnatusque Dnus. 10. HENR. DEWITZ*, Advocati, ut vocant, Communitatis spartam quadriennio abhinc nactus, non modo Bibliothecae Gymnasii liberaliter inferendum curavit, sed sequentem etiam, cuius sic se habet titulus:

*HIERONYMVS FROBENIVS LECTORIS*

*En damus Amice Lector*

*VTRVMQVE TESTAMENTVM*

*juxta vulgatam quidem editionem sed a mendis — repurgatum —*

*In hos enim libros vel minimum erratum intulisse, placulum*

*ducimus. Basileae ex officina Frobeniana A. 1530.*

*M. Mart. in fol.*

*Haec*

w) Hi versus etiam leguntur in Bibliis latinis de A. 1479. vid. WIDEKIND I. c. p. 561, ut & in illis de A. 1486 teste SALTENIO I. c. p. 199, nec non in illis de A. 1518, Lugd. impressis, de quibus REIMANNVS in Cat. Bibl. Thool. p. 206.

218

Haec Bibliorum editio in Brunswicensi codicum sacrorum collectione, quam KNOCHIO debemus, non obvia, singulari HIER FROBENII, IO. HERVAGII & NIC. EPISCOPII cura, ut ad calcem N. T. legitimus, nitide & emaculate excusa est. Hinc emendatione ut & typorum ac chartae splendore non minus, quam raritate sua commendabilis omnino habetur. Indicem libroru*w* V. & N. T. praemissum epistola sequitur HIERONYMI ad PAVLINUM, ejusdemque in Pentateuchum praefatio, quam ipse excipit codicis sacri textus, capitibus eorumque argumentis ac locis parallelis in margine adjectis. Dum vero versiculorum distinctio in utroque Testamento plane desideratur, in parallelis citandis sola indicantur librorum capita sectionibus, in quas quodvis distributum est caput, per elementa literarum in margine additis. Insuper praemissus est N. T. elenchus Eusebianus: in fine vero adiecta est vocum Hebraicarum interpretatio, sed longe, quam ante haec fuit, exactior, additusque sententiarum insignium index.

Progedior ad Biblia Britto-Wallica, eademque splendidissima, quae SALTENIUS x) rarissima vocat; WIDEKIND vero, y) Bibliorum Wallicorum (loquitur autem de iis, quae jam 1588 in foliis prodierunt,) raritatem probaturus, scribit: Diese Wallische oder Cambrische Bibel ist rar, ja so rar, daß man nicht einmahl den rechten Titul derselben irgendwo aufgezeichnet findet. Hinc VOGTRIVS quidem z) illorum titulum latinis allegat verbis; annum vero impressionis cum RICHARDO SIMONE a) addre non novit: quia eadem forsitan nunquam viderunt. En igitur titulum nostrorum a lingua Wallica typis expressum:

*Cyssegr-lan, Sef yr Hen Destameut a'r Nemydd.*

*Llundain. 1689.*

N. vero T. anno demum 1690 in lucem emissum esse, ex ipsis rubro edocemur. Quod ad ipsa Biblia, illis nulla praemittitur praefatio, ut in aliis ejusdem linguae codicibus de A. 1588 &

I 3

1620

x) in Bibl. libr. rar. & rariss. p. 499. n. 2523.

y) in dem ausführlichen Verzeichniß von raren Büchern. p. 260.

z) in Cat. libr. rar. p. 94.

a) in diss. de variis Bibl. edit. p. 205.

1620 factum esse, scribit LE LONG b) sed rubrum ac librorum bibliorum recensionem sequitur statim Genesis, & Novo Test. colophonem imponunt cantilenae Dawidicae, per EDMUNDVM PRYS, Archid. Merionnidensem compositae, & A. 1690 prelo itidem commissae. Nec hoc silentii peplo involvere licet, in V. T. desiderare apocrypha, Malachia canonem illius claudente. *Vir Generosus*, Plur. Rever. Doctissimusque IACOBVS a PERARD, Borussorum Regis ab Oratoribus Aulae sacris, Ecclesiae Gallicae apud Stettinenses Pastor Primarius, ac scientiarum Academiis Petropolitanae, Berolinensi, Holmensi, Bononiensi & Rupellensi, itemque Societatibus Teutonicis Regiomontanae, Goettingensi, Gryphiswaldensi, Jenensi, Helmstadiensi, Bremensi ac Londinensi de fide propaganda adscriptus, qui magnus Musarum Elbingensium Fautor, suam in Bibliothecam Gymnasii nostri propensionem scriptis librisque oblatis jam saepius testatus est, haec quoque Biblia rarissima eidem Cal. Jan. a. h. strenae loco Sedino dono misit. Imo codici huic, quam in manibus habeo, novum Ipse raritatis addit argumentum, dum in fronte illius sequentia manu refert sua: *Cette Bible en langue Galoise a été tirée du Cabinet de la Reine Marie Epouse de Guillaume III. Roi d'Angleterre. Son nom se voit en plusieurs endroits de la converture. Sedecies enim in extrema involucri facie literae Reginae initiales, M. R. deauratae & corona regia ornatae leguntur.*

Porro deprehenditur in Bibliotheca Gymn. codex S. S. latinus perrarus in 8. in cuius rubro sequens legitur titulus:

*BIBLIA CVM SVMMA RIORVM APPARATI*

*pleno quadruplicique repertorio insignita &c.*

Medium rubri occupant imagines Apost. Petri ac Pauli, Veronice velamen, cui caput CHRISTI impressum est, tenentium. Infra autem in libri commendationem sequentes additi sunt versus:

*Emendata magis scaturit nunc biblia tota*

*Que fuit in nullo tempore visa prius &c.*

In Apocalypseos vero fine, quem folium quingentesimum exhibet, legimus, haec Biblia *Lugduni* in officina IAC. MARESCHAL A. 1019.

XVII Cal. Nov. prodiisse. Cum vero artem calcographicam A. 219  
demum 1440 inventam esse constet inter omnes: c) facile diju-  
dicatu est, Biblia haec Lugdunensia non 1019, sed quod multae  
abbreviaturae aliaque antiquitatis docent signa, A. 1519 lucem  
adspexisse. Ipsa Biblia & charta & literae commandant, quarum  
quidem initiales omnium librorum aequae ac capitulum ligno exscul-  
ptae, facie humana ornatae apparent; epistolae vero HIERON. ad  
PAVLINVM, quae ante Genesin legitur, praemissa est imago qua-  
dam, sex creationis dies in sex sectionibus quam affabre exponens.  
Ad haec lectiones variantes partim, partim annotationes in mar-  
gine positae sunt notatu dignae. Sic enim Jubalem legimus lane-  
ficij & texturae artes invenisse, Gen. IV. Enochum, literarum  
inventorem, primum libros edidisse, c. V. Japhetum Astronomiae  
auctorem fuisse, c. X. Ninum patris sui Beli statuam adorari  
jussisse, c. XI. eundemque Ninum nummos primum cudiisse, c.  
XII. Melchisedecum, filium Noae, sacerdotem DEI fuisse, qui  
primus templo condidit sacra, c. XIV. Quod vero ad illa, Jo-  
vem in Arcadia regna instituisse, c. XX. Lelium Cretensem pa-  
trem Saturni, Vestam vero ejusdem matrem fuisse, ac Minervam  
lanificium, olei & quadrigarum usum invenisse, c. XXI. Janum in  
Italia regnasse, c. XXVI. Isidem literas, agriculturam & mores  
compositos Aegyptios docuisse, c. XXIX. ea, Gentilismum ac  
Mythologiam redolentia, e S. S. paginis potius extirpanda, quam  
in illas inferenda essent. Tandem scias, haec Biblia a Dno. IO.  
FRID. ENDERSCHIO, Mathematico Regio ac Cive Elbingensi Hone-  
timo A. 1747 usibus Bibliothecae oblata esse d)

Sequitur codex S. S. alias, quem b. LILIENTHAL e) eine haupt-  
rare Edition, KNOCHIVS vero f) eine hochstrare und saubere Bibel-  
Ausgabe vocant, & cuius titulus ita se habet:

### BIBLIA

Quid in hac editione praefitum sit, vide in ea, quam operi praes-  
posuimus, ad lectorem epistola.

Lute-

c). LESSERS Kurzgeschichte Historie der Buchdruckerey. KAPPENS Buchdruckerkunst,  
& SEYLERI Att. euchar. in memoriam tertii ab inventa Typographia Jubilei.

d) vid. plura apud KNOCHIVM, l. c. p. 837.

e) in der Exeg. Bibl. P. I. p. 74.

f) l. c. P. I. p. 862.

Hic S. S. codex in 8. quem *Vir Plur. Rev. Doctiss. ALEX. NIC<sup>T</sup>OLCKEMIT*, Fidelissimus tum temporis apud Preuschmarcenses, postea vero ad S. Annae verbi divini Minister, ὁ νῦν ἐν τοῖς ἀγίοις, A. 1755 Bibliothecae benevole obtulit, eo gratior & acceptior est, quō magis ad rariores & notatu dignissimas pertinet editiones. Inde evenit, ut his Bibliis VFFENBACHIVS g) pretium duodecim, Anonymus quidam h) quatuor, KNOCHIVS i) vero octo imperialium adjudicent. Tantam enim ROB. STEPHANI adversarii libro huic divino pararunt internacionem, ut vix unum aut alterum in Germania, in Gallia vero fere nullum ejusdem supersit exemplar: quippe non a Theologis modo Ecclesiae Gallicanae, ipsaque Academia Sorbonnica haec Biblia damnata fuisse constat, sed Theologi etiam Lovanienses illorum instinctu ea in indicem expurgatorium intulisse dicuntur. k) Quae Biblia cum STEPHANVS annuente Gallorum Rege, FRANCISCO I. typis nitidissimis, & ut fama est, argenteis, aet minutissimis insimul excudere in animum induxisset: in altera columna versionem latinam vulgatam, litera V notatam; in altera autem novam translationem sub lit. N, adjectis in margine annotationibus, pietatis ac doctrinae ipsius testibus, ponere decrevit. l) Quae causa fuit, cur Cel. M. MICHAEL LILIENTHAL m) STEPHANVM imposturae literariae accuset, ac si LEONIS IVDAE editionem Tigurinam de A. 1543 pro SANCTIS PAGNINI V. T. ditasset, & nec VATABLI, sed suasmetipsas, ut & CLAVDII BADVELLI THEOD. BEZAE annotationes sub nomine suo mundo obliuiose luisset; a qua tamen suspicione ac impostura eum fuisse liberare studet saepe laudatus KNOCHIVS. n)

In

g) in Bibl. Vffenb. T. I. p. 17. n. 14.

h) in Bibl. Anon. Nor. 1738. p. 181.

i) l. c. p. 862.

k) l. c. p. 865. 866. ex ipsa a STEPHANO edita Apologia. p. 14. 15. REL. MANNI cat. Bibl. Theol. p. 223. Nachricht von einer Häll. Bibl. B. 5. p. 189.

l) le LONG. l. c. p. 602.

m) l. c. p. 74. 75.

n) in der Braunschw. Bibelsammlung. p. 863. &c.

Von  
Denkmählern.

---

220

Der Vorredner  
GODOFREDVS IVDE

bewillkommet die S. T. Höchst- und Hochgeehrtesten Anwesenden und  
bittet um ein geneigtes Gehör.

Chor.

Von dem, was zu den Denkmählern Gelegenheit gegeben, reden

Martin Christian Groß  
Bacharias Fansson  
Benjamin Silber  
Michael Gottlieb Fuchs  
Daniel Samuel Rogge  
August Traugott Volkemitt  
Michael Braun  
Daniel Gottlob Guttke.

\* \* \*

SAMVEL TESCHNER

redet von der Bilderschrift.

Chor.

Von biblischen und prophan Denkbildern sprechen

Ferdinand Theodor Brakenhausen  
Johann Karus  
Samuel Traugott Grützner  
Gottfried Scheiberling  
Carl Wilhelm Fromme  
Johann George Rabe  
Gottfried Lange  
Michael Samuel Mietlau.

Chor.

## Chor.

### Von Denksäulen machen Worte

Isaac Eggerath  
Gottlieb Ballermann  
Johann Gottlob Wulff  
Carl Christian Kluge  
Johann Ephraim Fischer  
Johann Gottfried Becker  
Johann Philipp  
Gottfried Raphael Scubovius.



### Vom Recht der Colosßen und Denksäulen handeln

THOMAS CHRISTLIEB ACHENWALL  
IOANNES von NEAVS  
HANS WILHELM HORN  
IOANNES ERNESTVS KERBEIN.

## Chor.

### Von Denksteinen reden

Nathanael George Land  
Jacob Schröter  
Gotthelf Israel Schmidt  
Heinrich Haage  
Constantin Gottfried Witthold  
Johann Gottfried Hingelberg  
Christoph Ludwig Ulrich.



### Inßbesondere handeln von den Denkbildern in Schildern, Ringen und Fahnen

Carl Alexander Brakenhausen  
Theodor Ferdinand Köppen  
Michael Theodor Conrad Stoltz.

## Chor.

Auf Ermunterung des  
 MICHAEL ERNESTVS FROMME  
 erzählen einige Denksprüche Grosser Herren

Daniel Gottfried Kanngiesser  
 Michael Ballermann  
 Johann Friedrich Seidler  
 Wilhelm Heinrich Kluge  
 Johann Jacob Groß  
 Berend Jansson von Tongerloo.




SAMUEL GEORGE SCHROETER  
 erklärt die Denkzettel der Juden.

## Chor.

Von den Denksprüchen der Gelehrten reden

Ephraim Zimmermann  
 Carl Friedrich Braun  
 Johann Nathanael Zobel  
 Christoph Ballermann  
 Jacob Kienast  
 Johann Friedrich Tolckenit.



IOANNES CHRISTOPH LIEDTKE  
 spricht von den Stammbüchern der Gelehrten, als den Behältnissen  
 ihrer Denksprüche.

## Chor.

Von Denkmünzen alter und neuer Zeit führen einige an

Theodor Ioan Dilla  
 Samuel Gottlieb Baum  
 Christian August Zeidler  
 Ioan Friedrich Theodor von Lunge  
 Ioannes von Koldum  
 Michael Leuchert  
 Ioannes Horn  
 Ioannes Jacobus Stobba.

\*\*\*

JOSEPHVS LDOVICVS von IVNGE  
redet von Denkmänen und Denksäulen der Gelehrten.

Chor.

Von Denk- und Danktagen überhaupt sprechen

Johann George Endersch  
Johann Gottfried Hanff  
Johann Schönenberg  
Johann Friedrich Endersch  
Carl Daniel Fuchs  
Peter Kawerau  
Franz Heinrich Rascke  
Johann Heinrich Scheiberling  
George Lemke  
Johann Christian Horn  
Andreas Eggert  
Christian Gottlieb Ehler.

\*\*\*

Insbesondere von Elbings Denk- und Danktagen.

Theodor Michael Sieffere  
Ioannes George Land,

Der Nachredner

IOANNES FERDINANDVS IVNGSCHVLTZ

richtet der Weisheit ein Denkmahl auf, und dankt für die  
preiswürdige Gegenwart aller Höchst- und Höchsgeneigte  
Musen-Söhne,

